

A tergo:

Reverendis, Honorabilibus, Spectabilibus ac Magnificis, Magnificis item, Egregijs et Nobilibus nec non Prudentibus ac Circumspectis N. N. Regnorum nostrorum, Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Universis Statibus et Ordinibus &c. Fidelibus Nobis Dilectis.

Zagrabiae Ex Officio.

(L. S.)

Orig. in Archivo Regni Croatiae. Acta Regni Congregationum a. 1745, Nr. 30.

CCXLV.

Anno 1745. die 1. Julii. Viennae.

Instructio a Regina Maria Theresia Marco Alexandro libero baroni Pejačević, Comitatus Syrmienensis Officii supremi Comitum Administratori, totoque ejusdem Comitatus Magistratui data.

Maria Theresia Dei Gratia Regina Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae & Sclavoniae, Archi Dux Austriae, Dux Burgundiae, Brabantiae, Styriae, Carinthiae & Carnioliae, Comes Flandriae, Tyrolis & Goritiae, nupta Dux Lotharingiae & Barri, Magna Dux Hetruriae &c. Fideli nostro Magnifico Marco Alexandro Libero Baroni Pejacevich qua Comitatus Syrmienensis Officii Supremi Comitum Administratori, salutem & Gratiam. Siquidem ad mentem Articulorum 18 & 50 Novissimae Diaetae 1741 Districtus Syrmii & inferioris Sclavoniae, exceptis Confiniis, Banali & Provinciali Regnorum Dalmatiae, Croatiae & Sclavoniae Jurisdictioni incorporari, illosque incluso Valkoiensi, in tres Comitatus, Syrmiensem utpote, Poseganum & Veröcensem subdividi resolverimus, ex his vero Moderationem Comitatus Syrmienensis Tibi, qua Officii (uti praemissum est) Supremi Comitum pro interim Administratori concediderimus: Igitur, ut tam Tu, quam reliqui quoque ejusdem Comitatus Officiales, hac vice per Commissionem nostram Regiam, ad incorporationem praefatorum Districtuum Limitationemque & regulationem antelatorum trium Comitatum cum Deputatis dictorum Regnorum ad faciem Loci proxime descensuram. provisoriae ad ratificationem nostram eligendi & constituendi, Muneribus & Officiis Vestris tanto exactius satisfaciatis, Vobis tam in Communi quam particulari sequentem Instructionem dandam esse duximus, Et quidem: